



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Articulus III. vtrum vnio Verbi incarnati facta sit in supposito, vel hypostasi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

quamvis diverso modo significentur, & nihilominus, non quidquid predicatur de vno, de alio predicari, vti in proposito dicitur Verbum simpliciter esse sua diuinitas, & tamen vno dicitur facta in Verbo, & non in diuinitate. Verbumque ipsum generari dicitur, diuinitas vero nequaquam. Ratio ex dictis sumenda est, illa enim propositiones, in quibus abstracta vel de concretis, vel de se muno predicantur, reuera sunt improprie ex modo significantur: admittuntur tamen in sensu identico, quia extrema sunt in re omnino idem, quando ex huiusmodi predicatione non sequitur, nec per eam indicatur quiddam aliud falsum vel absurdum. At vero alia predicationes faciunt sensum formalem, & in eis significatur aliquid conuenire Deo secundum eam rationem, secundum quam vere non conuenit; unde fit, vt ex eis aliquid falsum, & diuina natura repugnans consequatur, vt ex illa propositione, deitas generatur, sequitur deitatem distinguam a persona generante, & ex illa, vno facta est in natura diuina, sequitur & diuinitatem mutatam esse, & vnionem tribus personis esse commune.

Solutiones ad secundum & tertium per se sunt satis clarae, quaestiones vero, quae in illis indicantur, inferius in propriis locis tractanda sunt.

ARTICVLVS III.

Primum vno Verbi incarnati facta sit in supposito vel hypostasi.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod vno Verbi incarnati non sit facta in supposito siue in hypostasi. Dicit enim Augustinus in Enchirid. Diuina substantia & humana, vtraque est vnus Dei filius, sed aliud propter Verbum, & aliud propter hominem. Leo Papa etiam dicit in epist. ad Flauian. Vnum horum coruscant miraculis, aliud succumbit miris: Sed aliud & aliud differunt in supposito: ergo vno Verbi incarnati non est facta in supposito.

2. Praeterea, hypostasis nihil aliud est, quam substantia particularis, vt Boetius dicit in libr. de duabus naturis. Manifestum est autem, quod in Christo est quadam alia substantia particularis praeter hypostasim Verbi, scilicet corpus & anima & compositum ex eis. Ergo in ipso est alia hypostasis praeter hypostasim Verbi.

3. Praeterea, hypostasis Verbi non continetur in aliquo genere, neque sub specie, vt patet ex his, quae in prima parte dicitur: Sed Christus secundum quod est factus homo, continetur sub specie humana: dicit enim Dionysius 1. cap. aliquantulum de diuinis nominibus. Intra naturae nostrae terminos venit, qui omnem totius naturae ordinem supereminenter excedit. Non autem continetur sub specie humana, nisi sicut hypostasis quadam humanae speciei. Ergo in Christo est alia hypostasis praeter hypostasim Verbi Dei. Et sic idem quod prius.

Sed contra est, quod Damascenus dicit in 3. li. In Domino Iesu Christo duas naturas cognoscimus, vniam autem hypostasim.

Respondeo dicendum, quod quidam ignorant es habitudinem hypostasis a personam, licet concederent in Christo vniam solam personam, posuerunt tamen aliam hypostasim Dei, & aliam hominis, ac si vno sit facta in persona, non in hypostasi.

Quod quidem apparet erroneum tripliciter. Primo ex hoc, quod persona super hypostasim non addit nisi determinatam naturam, scilicet rationalem, secundum quod Boetius dicit in libro de duabus naturis. Quod si persona est rationalis natura, indiuidua substantia, & ideo idem est attribuere pra-

Fr. Suar. Tom. 1.

priam hypostasim humanae naturae in Christo, & propriam personam. Quod intelligentes sancti Patres vtrumque in Concilio quinto apud Constantinopolim celebrato damnauerunt, dicentes: Si quis introducere conatur in mysterio, Christo duas substantias, seu duas personas, anathema sit: nec enim adiectionem persone vel substantiae suscepit sancta Trinitas, incarnato vno de sancta Trinitate, Deo Verbo. Substantia autem idem est quod res subsistens, quod est proprium hypostasis, vt patet per Boetium in libro de duabus naturis.

b. Secundo, quia si dicitur quod persona aliquid addat super hypostasim, in quo possit vno fieri, hoc nihil aliud est quam proprietates ad dignitatem pertinentes: Secundum quod a quibusdam dicitur, quod persona est hypostasis proprietate distincta ad dignitatem pertinente. Si ergo facta sit vno in persona, & non in hypostasi, consequens erit, quod non facta sit vno nisi secundum dignitatem quandam. Et hoc est approbante Synodo Ephesina damnatum a Cyrillo sub his verbis: Si quis in vno Christo diuidit substantias post adunationem, sola copulans eas coniunctione, quae secundum dignitatem quandam, vel autoritatem est, vel secundum potentiam, & non magis concursu secundum adunationem naturalem, anathema sit.

Tertio, quia tantum hypostasis est, cui attribuntur operationes & proprietates naturae, & ea etiam quae ad naturam rationem pertinent: in concreto dicimus enim quod hic homo ratiocinatur, & est risibilis, & est animal rationale. Et hac ratione hic homo dicitur esse suppositum, quia scilicet supponitur his, quae ad hominem pertinent, eorum predicationem recipiens. Si ergo sit alia hypostasis in Christo praeter hypostasim Verbi, sequitur quod de aliquo alio quam de Verbo verificentur ea, quae sunt hominis, puta esse natum de Virgine, passum, crucifixum, & sepultum. Et hoc etiam damnatum est approbante Concilio Ephesino sub his verbis: Si quis personam duabus vel substantiis eas, quae sunt in Euangelicis & Apostolicis scripturis, pariter voces, aut de Christo a sanctis dicitis, aut ab ipso de se, & quasdam quidem vel homini praeter illud ex Deo Verbum specialiter intellecto applicat, quasdam vero vel Deo dignas, sicut ex Deo Patre Verbo, anathema sit. Si ergo patet esse haeresim olim ab Ecclesia damnatam, dicere, quod in Christo sunt duae hypostases, vel duo supposita: siue quod vno non sit facta in hypostasi vel supposito. Vnde in eadem Synodo legitur. Si quis non confiteretur carni secundum substantiam vnitam ex Deo Patre Verbum, vnamque esse Christum cum sua carne eundem scilicet Deum & hominem, anathema sit.

c. Ad primum ergo dicendum, quod sicut accidentaliter differencia facit alterum, ita differencia essentialis facit aliud. Manifestum est autem, quod alteritas, quae prouenit ex differencia accidentali, potest ad eandem hypostasim vel suppositum pertinere in rebus creatis: eo quod idem numero potest diuersis accidentibus subesse: non autem contingit in rebus creatis, quod idem numero subsistere possit diuersis essentis vel naturis, sed vnus & idem Christus subsistit in duabus naturis. Vnde sicut quod dicitur alterum & alterum in creaturis non significat diuersitatem suppositi, sed solum diuersitatem formarum accidentalium: ita quod dicitur Christus aliud & aliud, non importat diuersitatem suppositi vel hypostasis, sed diuersitatem naturarum. Vnde Gregorius Nazianzenus dicit in epistola ad Didimum: Aliud & aliud sunt ea, ex quibus Saluator est, non autem alius, dico verum aliud & aliud contrario, & quam in Trinitate habet: ibi enim alius & alius dicimus, vt non substantias confundamus, non autem aliud & aliud.

d. Ad secundum dicendum, quod hypostasis significat substantiam particularem, non quocumque modo, sed prout est in suo complemento: Secundum vero quod venit in vnionem alicuius magis completi, non dicitur hypostasis, sicut manus vel pes. Et similiter humana natura in Christo quamuis sit

In C. de. a. Constantin. quod est 5. generale can. 5. 10. m. i. Concil.

In 3 pag. a princip. lib.

In Ephes. 1. can. 3 to 1. Conc.

In Ephes. Synod. 1. can. 4. 10. 1. Conc. cil.

In can. 2. Ephes. 1. Synod. quae sunt vna ex 4 princip. lib.

In epist. 1. ad Didimum inter princip. 1. Honoris diffimo.

2

substan-

substantia particularis: quia tamen venit in unionem cuiusdam completi, scilicet totius CHRISTI, prout est Deus & homo, non potest dici hypostasis vel suppositum. Sed illud completum ad quod concurrat, dicitur esse hypostasis vel suppositum.

e Ad tertium dicendum, quod in rebus creatis res aliqua singularis non ponitur in genere vel in specie ratione eius quod pertinet ad eius individuationem, sed ratione naturae, quae secundum formam determinatur: cum individuatione magis sit secundum materiam in rebus compositis. Sic ergo dicendum est quod Christus est in specie humana, ratione naturae assumptae, non ratione ipsius hypostasis.

COMMENTARIUS.

I C articulus nulla indiget expositione, est enim idem re ipsa cum superiori, solum diversis vocibus & nominibus propositus ad confundendos quosdam haereticos, qui vel vocem propriam ignorant, vel errorem suum nominibus variis involucentes duas personas in Christo negaverunt, duo supposita, vel duas hypostasies admittentes, in quo pugnantia plane dicebant, quoniam utrumque illorum suppositorum, si duo essent, subsisteret in natura rationali, seu intellectuuali, divina, scilicet & humana, unde duae personae essent, ut recte D. Thomas in sua prima ratione concludit, quia persona supra suppositum nihil addit, nisi quod in rationali natura subsistat. Et hoc modo contra hunc errorem procedunt omnia dicta articulo precedenti. Item testimonia & rationes, quae contra haereticos fiunt, qui duas personas in Christo posuerunt, ut D. Thomas bene argumentatur, praesertim in ratione tertia.

b Solum circa secundam rationem oportet notare vim eius consistere in hoc, si persona supponit propriam hypostasim humanae naturae, solumque dignitatem aliquam illi addit, necessario effici illam non posse esse substantialem dignitatem, sed accidentalem, & hoc modo sequitur ex illo errore hanc unionem solum esse factam secundum quandam dignitatem, nimirum extrinsecam & accidentalem, quod in Ephesino Concilio damnatum est. Quod ideo aduerto, quia si loquamur de vera personali dignitate, quae substantialis est & intrinseca, sic vere dici potest hanc unionem factam esse secundum quandam dignitatem, quia per illam eleuata est humana natura ad subsistendum in persona Verbi, subsistere autem in digniori persona ad perfectionem & dignitatem naturae humanae pertinet, ut articulo superiori ad secundum Diuus Thomas dixit.

c In argumento primo cum solutione attigit Diuus Thomas dubium, an Christus possit dici alius, & alius, vel aliud & aliud. Et idem tetigit infra quae. 17. artic. ubi disputandum est tanquam in proprio loco.

d Secundum argumentum idem est cum argumento tertio articuli precedentis, & solutio in re eadem est, licet verba sint diuersa, in quibus immorari non oportet, quando res constat: constat autem humanitati Christi deesse propriam subsistentiam, seu personalitatem creatam, & ideo non esse personam, nec suppositum, nec primam substantiam completam, atque adeo nec substantiam indiuiduam, prout in definitione personae ponitur, cum dicitur: *Persona est rationalis naturae indiuidua substantia*. Et ita locus est Diuus Thomas articulo precedenti ad tertium, utendo autem latius nomine substantiae, prout significat rem quamcumque ge-

Ephesi. Con-
ciliū,

A neris substantiae, etiam si in illo completa non sit, hoc modo dici potest humanitas Christi substantia particularis, & indiuidua, non tamen persona, quia non habet complementum substantiae. Et hoc modo locutus est D. Thom. in hoc solutione.

e In argumento tertio tractari posset quaestio, an Christus sit unioce homo cum aliis hominibus, sed haec supponit multa in sequentibus tractanda, & habet proprium locum infra quaestione 16.

ARTICVLVS IIII.

Virum persona vel hypostasis Christi post incarnationem sit composita.

B D quartum sic proceditur. Videtur, quod persona Christi non sit composita. Persona enim Christi non est aliud quam persona vel hypostasis Verbi: ut ex dictis patet. Sed in Verbo non est aliud persona & natura, ut patet ex dictis in prima parte. Cum ergo natura Verbi sit simplex (ut in primo ostensum est) impossibile est quod persona Christi sit composita.

2. Praeterea. Omnis compositio videtur esse ex partibus: Sed diuina natura non potest habere rationem partis: quia omnis pars habet rationem imperfecti. Ergo impossibile est, quod persona Christi sit composita ex duabus naturis.

3. Praeterea. Quod componitur ex aliquibus, videtur esse homogeneum eis: sicut ex corporibus non componitur nisi corpus. Si ergo ex duabus naturis aliquid sit in Christo compositum, consequens erit, quod illud non erit persona, sed natura: & sic in Christo erit facta unio in natura: quod est contra praedicta.

Sed contra est quod Damasc. dicit in tercio libro. In domino Iesu Christo duas naturas cognoscimus, unam autem hypostasim ex utraque compositam.

b Respondeo dicendum, quod persona sive hypostasis Christi, dupliciter potest considerari. Vno modo secundum illud, quod est in se: & sic est omnino simplex sicut & natura Verbi. Alio modo secundum rationem personae vel hypostasis: ad quam pertinet subsistere in aliqua natura, & secundum hoc, persona Christi subsistit in duabus naturis. Unde licet sit ibi unum subsistens, est tamen ibi alia & alia ratio subsistens, & sic dicitur persona composita, in quantum unum in duobus subsistit.

Et per hoc patet responsio ad primum.

c Ad secundum dicendum, quod illa compositio personae ex naturis, non dicitur esse ratione partium, sed potius ratione numeri, sicut omne illud, in quo duo conueniunt, potest dici ex eis compositum.

d Ad tertium dicendum, quod non in omni compositioe hoc verificatur, quod illud quod componitur, sit homogeneum componentibus, sed solum in partibus continui. Nam continuum non componitur nisi ex continuis: animal vero componitur ex anima & corpore, quorum neutrum est animal.

COMMENTARIUS.

E N articulis precedentibus concludit Diuus Thomas terminum huius unionis esse personam, & ideo merito consequenter quaerit, an huiusmodi terminus sit persona simplex, vel composita.

b Respondet autem D. Thom. quaestioni sic propositae non satis clare, dicit enim, personam Verbi secundum se, non esse compositam, tamen secundum rationem personae, ad quam pertinet subsistere in aliqua natura, ut sic; esse personam compositam, quia